

nientibus uti, libro secundo *τόπος*, ubi
animadversione dignum puto, quod sanguinem
columbinum calidum, ex ala detracatum,
supra cerebri membranam induci probet,
Apollonium secutus.

DE USU TEREBRÆ, Sive anabaptisti.

CAP III.

Tertio die postquam vulnus factum est, terebræ officio uti oportebit, est namque duplex terebræ genus, alterum masculum, fœminam alterum vocant *Græcis ἀλαρτίσου* dictum. principio igitur, mas super cranio collocandus est, secundum insimam vulneris partem, dum modò, nullam commissuram attingat, hunc ad perpendicularum semper constitutum rotare eosque oportet, quoad in osse tantum penetrarit, quanta est ejus nummi argentei crassitudo, quam Hispani *Real de à quatro* dicunt, nonnihil etiam amplius. Est autem terebræ mari anceps ligula, in medio quam nespulam vocant, quæ fabrilis taladri modo penetret. atque hæc centrum format in osse: terebræ autem circumferentia circulum in osse describit. Fœminæ terebræ nihil in medio est, ejus tamen circum-

24 DE CURA N. VULNER.

circumferentiam, mari omnino æqualem esse oportet; hunc etiam ad perpendicularum collocatum circumvolvimus, leniterque agitamus, donec superior ossis tabula perscindatur, interim autem, cum opus esse visum fuerit, ramente abstergenda sunt. Eodem modo in inferiorem tabulam accuratè agere conveniet, sed antequam omnino terebra penetreret, versus aliquam descripti circuli partem sinistra manus terebram continens, est inclinanda, ut ex ea parte totum scindatur os, ex altera vero parte nihil ulterius penetreret, tunc ex theca instrumentum, quod commodius videbitur, est adhibendum, quo totus ille circulus, qui descriptus abscissusque fuerit, extrahatur, nullo in pelliculis omnino nocumento.

Post hoc lenticulare illud ferrum, candelæ flamma nonnihil calefactum, ex illo orificio asperas ossium particulas circumradimus, ne dum pulsatione naturali dura mater movetur, illis asperitatibus quicquam lædatur. Curetur autem locus sandalo, & balsami liquore, ut jam docuimus.

Cum vero aut fractura ipsa, aut contusio in ossibus magna fuerit, ita ut cranium compressum sit, trepano ut nihil opus erit, sed ossa ipsa in suam pri-

pristinam constitutionem, sunt reducenda. Complures enim ego hoc modo affectos, à chirurgis terebro, & levatoriis dictis, curatos malè habuisse vidi: cùm enim ea operatio, sine magna ossium depressione fieri minimè possit, fit ut pelliculæ facile rumpantur, & cerebrum etiam comminuatur. adde quòd cùm ab ipsis ossa non eruuntur, sed donec ipsa, sponte sua emittantur, putrescere sinuntur, in lethale discrimen ægroti conjiciuntur. Reducenda ergo sunt in locum proprium ossa, quàm fieri possit commodissimè, & ex iis pars aliqua, ut orificium fiat, eruenda est, ne pelliculæ compressis ossibus lædantur, & ne qua interiora curentur, apertio desit. Nec verò ossa fracta omnia statim eruere oportet, nocet enim tantum in pelliculis spacium apertum, atque patens esse, aëre nanque circuvago læduntur.

Est autem diligenter considerandum, perspiciendumque, an inferioris tabulæ portio, aliqua aut rupta, aut compressa, aut super duram matrem (quam vocant) incumbens, lateat; namque plerumque majorem portionem inferius, quàm superiorius, commoveri, ac rumpi, ut in testis ruptis, accidere jam sæpiissimè conspeximus. Nec raro mihi accedit, ut majorem ossis portionem, interius com-

26 DE CURAN. VULNER.

motam , deprehenderim , quam ut ex orificio possem eruere : quod ubi contigit , os ipsum instrumentis leniter rumpere , & in plures particulas divisum , eruere consuevi. Et quoniam instrumentorum magnus est usus , cuiusmodi ego utar instrumentis , pictura in fine libri addita , docebo , Perspiciendum itaque fuerit , an ossis portionem aliquam erui oporteat , quam nisi erueris , pelliculas ipsas compressas continua pulsatione læsas rumpi necesse est : cognoscitur autem hoc facilè , si quis diligenter inspiciat. Nam pelliculæ ipsæ compressiores , atque à cranio plusquam par est distantes , apparent. Ergo ossibus in locum suum reductis , & partibus iis , quas erui oportuit , erutis , si qua asperitas reliqua sit , ad quam dura mater continua sua pulsatione offendat , eam asperitatem lenticulari ferro abradi conveniet. Postera , autem die , postquam ossa correcta , atque eruta fuerint , si duræ matris color niger esse videbitur , pro lacte , oleo , & melle rosaceo , de quibus superius diximus , tantum rosaceo melle cochleare illud chirurgicum plenum , atque ad candelæ lumen calefactum , iniicito , atque cendalum , inter duram matrem , & cranium , insinuato : prodest enim hoc , & ut materies omnis quæ corrumpi possit ,

set, melius expurgetur, & ut pulsatione sua nihil dura mater lædatur. Atque hoc rosato melle facillime dura mater mundior efficitur: si ex contusione nigrior fortè, atque impurior facta erat. Cùm verò nigredo illa in meliorem colorem conuerti jam cœperit, pro rosato melle, ad restituendas pelliculas, hoc linimento uteris, quod duobus à Joanne Vigone descriptis, præstantius atque præsentius esse, frequenti experimento intellexi.

R. siripi rosati ex infusione 3ij. ℥.

florum & foliorum hypericonis, florum
rosmarini, grane ana parum, ter-
binthinæ vini odoriferi 3ij.

Olei omphacini quartam unam, croci
parum: bulliant usque ad consumptionem
vini, deinde colentur. Addimus oleum
illud omphacinum, & ad liquoris præ-
stantiam, & ad dolorem sedandum;
tametsi auctor ipse hujusmodi oleum
prætermiserit, tamen nos ut non præ-
termittendum commendamus, crocum
etiam nos floribus dum coquuntur, sub-
tiliter addimus. Solent autem ante deci-
mum quartum diem hoc linimento
membranæ omnes plenissimè restitui.

In universali autem vulneris curatio-
ne, balsamo illo nostro procedendum
est, quo ad vulneri necessaria accreverit
caro, & ossa omnia quæ erui oportuerit,

28 DE CURAN. VULNER.

fuerint jam eruta. eruuntur verò ante vi-
gesimum quintum diem , quo tempore
tendanda illa erunt ; nam facilè ferro le-
vatorio cedunt , si sensim trahas. Hoc
balsamum , præterquam quòd optimum
pus conficit , & non nimium, illud etiam
in exteriores vulneris partes commodissi-
mè expellit , neque plus intra vulnus
relinquit , quàm quod ad vulneris co-
ctionem , & curationem commodum est.
ruborem etiam aptissimum carni addit ,
& cranium opportunè humectat. Atque
hoc modo vulnera curanda sunt , semel
quidem singulis diebus , donec ossa
omnia sint eruta ; quibus jam erutis , li-
cebit ægroto , è lecto surgere , qui jam
deinceps singulis diebus bis est curandus.
Balsami autem hujus digestivi nostri hu-
jusmodi descriptio est.

Rx. Gummi elemii , & terebinthinæ abietinæ
quam vulgo de abiete vocant, ana 3 i. ℥.
sepi castrati antiqui , & liquefacti 3 ij.
pinguedinis porcinæ antiquæ liquefactæ 3 j.
misce , & ad ignem linimento facito.

Hujus balsami semuncia quantumvis
magnum vulnus curari poterit. Usus au-
tem est hujusmodi vulnere abstenso , at-
que iis rebus , quas jam præscripsimus ,
super pelliculas impositis balsamum vase
aliquo , ad ignem liquabis , ita ut non
nimium calefiat , ne scilicet calore ni-
mio

mio ægrotum lædat, ex eo quod liquatum fuerit, pluma gallinacea, vulneris partes omnes, & labia atque ipsum etiam capitis os, leviter inungito. Satis enim est id leviter fieri, ubi inunxeris, yulnus lichinis siccis opplete. Super hæc autem linum cum emplastro ponito, quod emplastrum gummi elemii dicitur: cuius descriptionem apud conciliatorem inventire licet, differentia centesima prima. Namque hoc emplastri genus vulneribus capitis sanandis accommodatissimum esse longo usu comperi. Ejus autem hæc descriptio est.

R. Gummi elemii 3 ij.

resinæ pineæ purissimæ, armoniaci, gummi hederacei ceræ ana 3 ij.

terebinthinæ 3 ij. 1.

olei rosacei 3 j. 1.

bulliant omnia simul præter armoniacum, cum cyatho uno, & dimidio vini odorati, usque ad consumptionem vini. ultimo loco addatur armoniacum dissolutum, cum aceto & gummi hederæ pulverizato, & malaxentur cum vino & aqua vite, & fiat emplastrum. Non minoris etiam usus emplastrum illud esse frequenti experimento intellexi, cuius descriptionem ex Joanne Vigone petas licet, in capite de fractura cranij cui ille nomen fecit Emplastrum ex betonica. Utilissimum pariter ad hanc

30 DE CURAN. VULNER.

eandem rem illud est, quod Acelinus Januensis Barchinonensis chirurgis tradidit, cuius hæc descriptio est.

Rx. Terebinthinæ clarae ℥ j. ℥.

ceræ albæ ℥ s,
resinæ pini ℥ vj. ℥.

Conficiantur simul, & fiat emplastrum, quod malaxetur cum aceto albo, in quo infusum sit emplastrum hoc à nobis descriptum. Infundi autem oportebit per sex dies in prædicto aceto, ita ut omnino immergatur, & cum succi betonicæ partibus duabus & verbenæ parte una; malaxentur omnia, & maceretur iterum per sex alteros dies in succis prædictis: posthæc malaxetur cum lacte mulieris: redigaturque in formas magdalionum nullius major est usus apud Celtiberos omnes quam hujus emplastri, cuius me etiam nunquam pænituit.

Igitur cùm pelliculæ restitutæ jam fuerint, illius quem descripsimus, liquoris usus nihil eo opus de cætero erit, sed pelliculæ ipsæ, atque adeò totum vulnus pluma ex balsamo intincta leviter est inungendum, donec totum os carne obductum, obiectumque sit (namque hujus medicamenti vis præsentissima, certissimaque ad eam rem est) fila autem, & lichni mollius, & lenius addenda

denda sunt, ne videlicet iis carnis impe-
diatur accretio, incrementumve. Nec
verò carnis inductio impedit, quo mi-
nus ossa corrupta, si quæ fuerint, tem-
pore remittantur. Est autem opportu-
num ad eam rem tempus ferè vigesimus-
quartus, aut vigesimusquintus dies, qui-
busdam etiam, & ante hoc tempus re-
mittuntur: sed ubi vulnus magnum est,
atque ubi locus terebra perforatus fuerit,
plerunque vigesimoquinto die, osium
remissio fit.

Nec verò hæc quæ de ossibus extra-
hendis diximus, sic interpretari debemus,
ut ossa sua sponte remissura, atque erup-
tura intelligamus, ut plerique chirurgo-
rum putant: sed necesse est, ut ab arti-
fice extrahantur eo instrumento ferreo,
quod vulgo caprinus pes dicitur: hoc
enim ubi apprehenderis, & paululum
contenderis, statim ossa ipsa cedunt, &
sequuntur: quod si prima die non suc-
cedat, sequenti facile expedietur res.
Itaque curandum est, ut tempestivè, &
opportunè ossa extrahantur. Ubi autem
extracta fuerint, licebit jam ægroto sur-
gere è lecto, idquæ tuto.

Post hæc verò deinceps, in sanando
vulnere, exiccatione uti conveniet, alu-
minis usci injecto pulvere, & lineis filis
impositis, addito, etiam super hæc

32 DE CURAN. VULNER.

emplastro. nec verò frequens adeò debet esse hujus pulveris usus, sed parcè agendum est: atque hoc modo triginta dierum spatio vulnera curantur, nullo magno, nec ægrotantis labore, nec chirurgi negotio.

A N N O T A T I O.

Terebella nota antiquis fuit: & bis, ni fallor, apud Hippocratem lib. de capitib[us] vulneribus mentio fit. ejus usus veteribus periculosus est existimatus: unde Galenus scalpelum magis probat: quod per cava scalpra adhibetur tandem os excidit: excisorio eo lenticulari tantopere à Galeno laudato: vide Æginetam capite proprio. Advertendum est usum terebræ alienum esse: ubi ossa sunt vehementer perfracta, aut ubi per se imbecilla sunt, aut contusa: excipit Hippocrates puorum os, quod non admodum imbecillum est.

Nocet enim] Doctissimè annotavit auctor, quod Galenus ait in octavo de usu partium, videlicet quàm celerrimè excidenda ossa esse, ne refrigeretur cerebrum.

Postera autem die] Paulum Æginetam sequitur. advertendum est, si spontanea sit nigrities, perduretque ita, ut jam profunda petat, insiti caloris mortificationem significare, atque ita sanè desperandum esse.

D E